
Stryewicz Jeb: Quaestio astronomica de orbibus et motibus Mercurii.

Broszura.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0002981

QVÆSTIO ASTRONOMICA, DE Orbibus & Motibus Mercurij,



Ad disputandum publicè
IN ACADEMIA CRACOVIENSI
A
M. SEBASTIANO STRYEWICZ,
Collega Minore, Ordinario Astron: Profess.
PROPOSITA.

Sub felicibus auspicijs
Illustris, Magnifici, & Adm̃. Rñdi Dñi,
D. GREGORII
MODLINSKI,
S. Th. & I. V. Doctoris, Præpositi ad S. ANNAM,
Scholarum Nouoduorscianarum Prouisoris,
Almæ Vniuersitatis Cracouiensis
GENERALIS
RECTORIS.

Anno Domini, 1653. Mense Iun: Die 21. Hora 10.

CRACOVIÆ,
In Officina Viduæ & Hæredum Francisci Cæsarij.

QVÆSTIO ASTRONOMICA,

V. in totali Sphæra Mercurij pluralitas orbium partialiũ nec non eorumdem præter impressum à primo mobili proprius & distinctus, tàm secundum longitudinem, quàm secundum latitudinem motus, rectè ab Astronomis statuatur necne?

CONCLVSIO I.

Datur totalis Sphæra Mercurij inter Sphæras Veneris & Lunæ distincta ab alijs orbibus aliorum Planetarum.

COROLLARIA

I. *Etsi variato ordine Sphærarum inferiorum possint saluari omnia Phænomena Planetarum, in eo tamen retinendo tutior est via recepta iam ab Astronomis secundum quam primũ locum Luna, secundum Mercurius, 3tium Venus, tum Sol & alij sibi reliqua vẽdicãt.*

II. *Numerus Sphærarum ab Astronomis à numero motuum illis propriorum desumitur.*

III. *Non est mera imaginatio Astronomorum, cum distantiam orbis Mercurij à Centro terræ 64. Semidiametr: terræ & $\frac{1}{6}$ secundum superficiem concauam, iam vero secundum conuexam 167 statuunt.*

IV. *Ex distantia concauæ superficiei orbis Mercurij quæ est Milliar: Germanic: 55. 183. $\frac{2}{6}$ & conuexæ quæ est 143. 620. colligitur crassities totius orbis 88.436. $\frac{4}{6}$*

V. *Ad indagandam circumferentiam Sphæræ totius Mercurij per duplationem conuexi ex regula diametri cœlestiũ globorũ quisq; deuenire potest quæ est 902754 $\frac{2}{7}$*

VI. *Etsi omnis periferia orbium vno modo ab Astronomis secundum longitudinem diuidatur in 360 gradus non tamen uniformiter milliaria illis respondent gradibus sed quo orbis superior eo vni gradui plura respondent.*

VII. *Si vniuscuiusq; Sphæræ numerus circumferentiæ diuidatur per 360. prodibunt in quotiente milliaria vni gradui talis Sphæræ v. g. in ☿ mill: 2507. $\frac{234.}{360.}$*

CONCLVSIO II.

Pluralitas orbium partialium in Sphæra Mercurij magno iudicio ad Senarium numerum ab Astronomis reuocatur.

COROLLARIA

I. *Ex quo Mercurius aliquo modo conuenit in motu cum aliis Planetis ex eo etiam debet conuenire & in orbibus.*

II. *In Mercurio sicut in alijs tribus superioribus concedendi sunt Excentrici secundum quid, Excentricus simpliciter deferens Mercurialem Epicyclum, & Epicyclus deferens corpus Mercurij.*

III. *Sed & Excentrici Excentri, Æquans. Circulus paruus à Centro æquantis descriptus, est ponendus in Sphæra Mercurij.*

IV. *Æquans & Circulus paruus non sunt Orbes componentes Sphæram totalem.*

V. *Ab ordine Orbium ordo pendet Centrorum ita vt primo loco statuatur Centrum Mundi 2do. æquantis. tertio Excentri Excentri quod idem est cum Centro parui Circuli. 4to. Centrum Excentrici simpliciter.*

VI. *Centrum æquantis distat à Centro Mundi tribus partibus talibus qualium Semidiameter eius continet 60. totidem ab hoc distat Centrum Excentroexcentrici, pone sequitur Centrum excentrici anomaliæ, tribus quoq; partibus á Centro parui Circuli remotum: vnde vltimum Centrum quod est mobile distat à Centro Mũdi partibus 9. ab æquantis 6. à parui Circuli tribus.*

VII. *Orbes Excentro excentrici sicut deferentes apogæa & perigea æquantis, licet inæqualis sint crassitiei, crassities tamen vnius supplet grossitiem alterius, redditurque totalis orbis vniformis.*

CONCLVSIO III.

Singuli Orbium partialium præter Motum quo ad raptum cum Sphærâ totali circumagitantur, habent alios Motus super diuersis Centris axibus & polis inter se distinctos.

COROLLARIA.

I. *Deferentes apogæum æquantis mouentur ab Occasu per Meridiem in Ortum, circa Centrum Mundi & circa polos proprios conficiendo annis 63. gr. 1. Vnico vero anno 57'' 8''' die vna 9''' 23'''' Periodicũ motũ: absoluũt ãnis 22.680.*

II. *Excentro Excentricorum motus eſt ab ortu per meridiem in occaſum circa polos proprios axem & Centrum idque ſpatio anni vnius.*

III. *Excentricus ſimpliciter, deferens Mercurialem Epicyclũ mouetur æquabiliter ſecundum conſequentiam ſignorum vno die* $59^{\prime}\ 8^{\prime\prime}\ 19^{\prime\prime\prime}$ *Epicyclum oppoſito modo atq; in Venere ad Meridiem inclinans.*

IV. *Epicycli Motus qui in ſuperiori parte ſecundum ſeriem ſignorum in inferiori contra fit, quadrimeſtri temporis ſpatio comprehenditur.*

V. *Punctum augis Excentrici Motum habet librationis ſecundum quem non explet totum Circulum vt in Luna: Termini motus ipſius ſunt duæ rectæ lineæ á Centro Mundi ad Excentricum ductæ tangente Circulum paruum in punctis oppoſitis.*

VI. *Motus Centri Epicycli in ſuo Excentrico & Centri Excentrici in paruo Circulo maximã habent in eo ſimilitudinem quod ſimul & ſemel in partes ſibi oppoſitas ferantur.*

VII. *Axis deferentium apogæum Excentrici inclinationis & declinationis motum ratione axis Eclypticæ admittit.*

CONCLVSIO IIII.

Motus in latitudinem in aliquibus orbibus Mercurij ex phænomenis recte concluditur.

COROLLARIA.

I. *Non repugnat eundem orbem ſimul & ſemel moueri & in longitudinem & in latitudinem.*

II. *Orbis deferens Epicyclum Mercurij maximam declinationem admittit in auſtrum.*

III. *Epicyclus in ſuo Excentrico nunc reflectitur verſus meridiem nunc verſus ſeptemtrionem.*

IV. *Licet inter motum latitudinalem Veneris & Mercurij magna ſit proportio, differunt tamen ex eo quod maxima declinatio Veneris in ſuo Epicyclo ſit borealis, Mercurij Auſtralis.*

V. *Per inclinationem Excentrici Mercurialis ad Eclypticã plana vtriusq; aliquando à ſe recedunt aliquando accedunt ita vt vnum planum ſit vtriusq;.*

VI. *Angulus Sectionis Excentrici & Eclypticæ in Mercurio eſt* $45^{\prime}$.

VII. *Et hæc diuerſitas Motuum eſt cauſa aſſignandorum triplicium Minutorum proportionalium in Mercurio.*



A. M. D. G.